Weber - Diss. Initialis de Critia Tyranno - 1824

EXAMINA SOLEMNIA

GYMNASII FRANCOFURTANI

JUSSU ET AUCTORITATE

SUMME VENERANDI CONSISTORII. A. C.

A. D. XI. CAL. —— PR. ID. APR.

PUBLICE CELEBRANDA

EA QUA DECET PIETATE OBSERVANTIA

INDICIT

Joannes Theodorus Voemel

Rector et Professor.

Inest WEBERI *Dissertatio initialis de Critia tyranno.*

FRANCOFURTI MDCCCXXIV.

TYPIS BROENNERIANIS.

Quod in multis illustris memoriae mortalibus accidisse videmus, ut in uno homine, quae maxime diversa sunt, virtutum splendor cum turpitudine vitiorum conjungeretur, factum est in Atheniensi Critia. At quum multa essent, quae in ejusmodi persona, in maximis clarissimae civitatis rebus aliquantum temporis versata, litteratorum hominum advertere animos deberent, nemo adhuc inventus est, qui tam uberem doctae investigationis materiam attingeret. Neque id care tratione sua. De cujus enim ingenio honorificentissima quaeque post veterum scriptorum laudes ipsorum reliquiae operum, etsi paucissimae, etiam hodie testantur, quum de moribus ac vita pravissima omnium historia prodiderit, eum merito dubites, utrum propter insignem naturae facultatem, promptitudinem animi, judicii acumen, doctrinam denique, elegantiam, eloquentiam mireris magis, an propter incredibilem abusum harum omnium rerum averseris.

Jam vero nostris diebus, ut tam ambiguae indolis vitam accuratius cognovisse jucundum sit, facit recentium et quorum in evertendo rerum publicarum statu opera eminuit, comparatio hominum. Nam haud inficeti sensus videatur, qui celeritate Critiam ingenii, morum ad omnem fortunam facilitate eloquentiae vi Mirabaeum aliquem Atheniensem, acriter exsequendis, quae crudelissime constituisset, Dantonum exstitisse vel Robespierrium dicat. Quamobrem si parvulam nos nostram minimeque sufficientem in ejus hominis imagine effingenda

operam posuimus, factum est, ut, quum programmatis antiquo ritu conscribendi ad nos hac vice cura demandata esset, quod ingenio nostro, doctrina, diligentia praestitum nunquam iri haberemus persuasum, rei saltem gravitate et copia assequentes benevolum nancisceremur legentium animum.

I. Igitur Critias, Callaeschri filius [1], Atheniensis, hoc primum a natura consecutus est, ut et natalium splendore multis antecelleret civibus, et ea nasceretur domo, quae liberalissima institutione sensuque pulchri a longo inde tempore excelluisset [2], maximorum autem poetarum, Solonis, Anacreontis, aliorumque multorum carminibus celebraretur [3]. Namque proavum habuit Dropiden, archontis functum munere [4],

1) Alius esse videtur Critias, cujus Andocides mentionem facit, *de Mysteriis* cap. 13. patris ejus patruelis. De Critia sculptore, qui Phidiae floruit aevo, vid. Plin. *Hist. nat.* XXXIV, 19. Pausan. I, pag. 14. et VI, pag. 347. Quod in commentariis ad Aristotelem *de Anima*, I, 2. Simplicius et Joannes Philoponus dubitant, utrum sententia illa de anima hominis in sanguine sedem habente, quo de nos videbis cap. 4. disserentes, Critiae tyranni fuerit, an Critiae Sophistae, cujus circumferantur libri, recte vituperari videntur ab ingeniosissimo viro Tennemanno, *Gesch. der Philosophie*, Vol. I, pag. 307, not. 53. Etenim vix dubitari poterit, unum solum fuisse Critiam et tyrannum, et Sophistam, quum hoc posuerimus, etiam eum librum, cujus mentionem ingerit Philostratus *Vit. Sophist.* Dedicat. pag. 480. ed. Olearii, quique de Sophistis itidem scriptus erat, nostri Critiae, tyranni, fuisse, quod ex quibusdam indiciis facile perspicitur. Et mirum foret, ut recte Tennemannus, si Critiae Sophistae, cujus nemo mentionem facit veterum, nisi qui tyrannum eumdem fuisse dicunt, multa exstarent scripta, de Critia tyranno, cujus librorum frequentissima mentio est, an aliquid omnino reliquerit, dubitandum esset. Vid. not. 56.

2) Cf. Platonis *Charmides*, pag. 154. 155. Part. I, Vol. 1, pag. 306. ed. Bekkeri.

3) Ibid. p. 155.

4) Vid. Philostrat. *Vit. Soph.* I, 16. (vita Critiae), 2, pag. 501. Quum hic locus, tum Platonicus, *Timaei* pag. 20, part. III, Vol. 2, pag. 10. Bekkeri, satis refellunt opinionem Diogenis Laertii, III, 1. et Procli in Scholiis ad l. l. Timaei, fratrem Solonis Dropiden exstitisse perhibentium. Cf. Schleiermacherum, *Platons*

cui Solo, septem sapientium sapientissimus, non amicitia solum sed propinqua etiam necessitudine familiarissime erat conjunctus [5]; avum vero eum Critiam, qui ejusdem Solonis mirum illum sermonem de Atlantidos insulae incolarum cum Aboriginibus Atticis bello apud se conservabat [6], ac de quo magni legislatoris ex multis illi dicatis versibus unum illud superest distichon

Εἰπέμεναι Κριτίᾳ ξανθότριχι πατρὸς ἀκούειν,
Οὐ γὰρ ἁμαρτινόῳ πείσεται ἡγεμόνι,

Quod est: *monete flavum Critiam, ut patri obediat, non enim inepto tum duci obtemperabit* [7].

Hunc minor Critias nonagenarium senem, decem ipse annorum,

Werke, part. I, Vol. 2, p. 393. Sententiam Diogenis cum quibusdam veteribus secutus est Meursius, *de Archontibus Athen.* I, 13. ex quo annum discimus, quo archon fuit Dropides, esse quartum Olympiadis quadragesimae sextae.

5) Vid. Platon. *Timaeus*, l. l.

6) Vid. Platon. *Critias*, pag. 113, Part. III, Vol. 2, pag. 157. Bekkeri.

7) Exstat hoc distichon apud Proclum, *Schol. in Platon. Tim.* Tom. 2, pag. 424. ed. Bekkeri. Quorum prior versuum, quum ita laudatur apud Aristotelem *Rhetor.* III, 15. Tom. II, pag. 309. ed. Casaub.

εἰπεῖν μοι Κριτίᾳ πυῤῥότριχι πατρος ἀκούειν,

nolim quidem cum Casaubono, magno homine, emendari ad Procli exemplar. Nam Cleophon, e cujus ore hexameter iste profertur, ut Critiae odium excitaret, illam mutationem *πυῤῥότριχος*, qui *rufus* est, e *ξανθοτρίχῳ*, *flavo*, poterat de industria induxisse. Nota est multitudinis de rufis crinibus tamquam indicibus malitiae opinio, quae non minus apud antiquos viguit, quam viget apud nos. Ceterum non satis video, cur Eduardus *Meierus* in libro bonae frugis *de bonis damnatorum et fiscalium debitorum*, pag. 219, not. 211, ubi Cleophontis, famosi *δημαγωγοῦ* (ut brevitatis caussa graeco vocabulo utar) vitam adumbrat, hunc versum in *accusatione Critiae* a Cleophonte prolatum velit (cf. nostrae dissertationis cap. VII.), quum majori similitudine veri dici possit, in defensione sui hominem id fecisse. Nam quum ab iis, qui populo adversabantur, damnatus fuerit, non facile errabimus, si Critiae suas partes in ejus judicio fuisse censeamus.

vidisse sese testatur apud Platonem [8]. Patris Callaeschri an exstet memoria quadringentos inter, quibus post Syracusanam cladem, anno Peloponnesiaci belli primo et vigesimo, Atheniensium respublica, rem agente Pisandro [9], permissa est, confirmari pro certo nequit.

II. Educatus est liberaliter, ut qui graeco more quum ad musicas incubuerit artes tum ad gymnicas. Et hujus quidem rei, quam salutarem ad ingenui hominis institutionem exerceat vim, testis ipse est dicens apud Clementem Alexandrinum [10]: *incipio a generatione hominis, quo demum modo optimus corpore atque fortissimus procreari possit? si pater quidem ipse exerceatur et vescatur probe et laboribus induresc at; mater autem infantis futuri forti sit corpore ac pariter exerceatur;* quae verba stultus est, qui ex Euripide adumbrata esse bonus Clemens affirmet, quum ex Spartanae potius, qua impense flagra-

8) In *Timaeo*, pag. 21. Ceterum ea res scrupulum injiciet, qui consideraverit Solonem octoginta annorum senem obiisse diem suum duobus postquam Pisistratus tyrannidem invasit annis (fecit id Pisistratus primum a. ante Chr. n. 561.) quae sane verior esse videtur Phaniae Ephesii traditio, quam Heraclidis Pontici, multos annos superstitem vixisse post illud factum. Vid. Plutarch. *vit. Solon.* ult. pag. 96. Quomodo enim tum circa annum ante Ch. 594. leges suas archon dare potuisset? Itaque etiam si Critias ille major, de quo exstat distichon Solonis, decem tantum annos, quum mortuus Solo est, habuit, difficile intelligitur, quomodo Critias minor nonagenarium potuerit vidisse decem annorum ipse, nisi Socratis aetate fere superiorem, non Alcibiadi aequalem fuisse censeas. Sed jam non vacat, accuratius hanc rem illustrare, desuntque subsidia ineundarum temporis rationum.

9) Callaeschrum cum Pisandro, quum inter quadringentos uterque esset, leniora sensisse, Theramene saevius agente, perhibet Lysias, *adv. Eratosth.* 10, 7. Alius Callaeschrus, Diotimi filius, tempore posterior, memoratur Demostheni, cujus *ψήφισμα* subscripsit, *de Corona*, cap. 97. nescio an idem, qui inter ditissimos Atheniensium refertur, *adv. Midiam*, cap. 67.

10) Lib. VI, pag. 620, d. ed. Sylb. Verba Critiae haec sunt: *ἄρχομαι ἀπὸ γενετῆς ἀνθρώπου, πῶς ἂν βέλτιστος τὸ σῶμα γένοιτο καὶ ἰσχυρότατος; εἰ ὁ φυτεύων γυμνάζοιτο καὶ ἐσθίοι ἐῤῥωμένως καὶ ταλαιπωροίη τὸ σῶμα· καὶ ἡ μήτηρ τοῦ παιδίου τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι ἰσχύοι τὸ σῶμα καὶ γυμνάζοιτο.*

bat Critias, admiratione disciplinae ultro prodierint. Bonarum autem studio litterarum et artium totum se dederat. Nam et praeceptoribus usus est Gorgia Leontino ac Socrate Sophronisci, et cum doctis hominibus frequentissime versatus, ut saepe etiam peregrinantes domo sua exciperet [11]. Idem tibia canendi cum Callia, Hipponici filio, inter juvenes Athenienses habitus est peritissimus [12].

III. Jam quidem Gorgiae schola, cui cum Alcibiade adolescente adolecens, cum Thucydide ac Pericle senibus interfuit [13], eum tulit fructum, ut grandiloquum illud magnificumque, quod Supercilium orationis Graeci appellabant, in Critiae non magis operibus eloquentiae quam in Thucydidis narratione ad Siculi maxime praecepta Sophistae grammatici veteres referrent [14]. Socratis vero consuetudinem, ut ab eo prudenter discerent hominibus uti tractandisque negotiis apti redderentur, Critiam Alcibiademque amplexos Xenophon, in avertenda ab sapientissimo praeceptore omnis pravae institutionis contumelia pie sedulus, rectissime animadvertit [15]. Quid enim homines ambitiosissimi et ad omnem proclives libidinem Socratis sequerentur in omni vita tempe-

11) Luculentissimum est hujus rei exemplum eximium illud ex elegiis Critiae fragmentum de temperantia Spartanorum, quod conservavit Athenaeus, X, pag. 432. d. seqq., egregie illud in nostram linguam translatum a Passovio, V. Cl. in libro *Pantheon, eine Zeitschrift* etc. Vol. II, part. 1, pag. 105. Idem testatur Philostratus *in vita Critiae*, init. Eaque res sine dubio ejus in Lysandrum et Spartanorum rempublicam studium, quum post pugnam ad Aegos potamon Athenas rediisset, adauxit. Vide nos cap. VIII.

12) Quod nisi ex initio Timaei Platonici vel ipsum pateret, disceremus ex Proclo, pag. 424. ed. Bekkeri. Ita etiam in Protagora Platonis Critias cum aliis generosis juvenibus adest et operam dat inter se disputantibus Protagorae, Socrati, Prodico, Hippiae.

13) Vid. Athenaeus, IV, p. 184. d.

14) Vid. Philostrat. *vit. Sophist.* I, 9. (*vita Gorgiae*) 1, pag. 492.

15) Cf. Philostrat. *Epistola ad Juliam Augustam*, pag. 919.

rantiam, frugalitatem, abstinentiam? Quid, quum ipsi ad se omnia trahendi cupidissimi essent, eo uterentur, qui ab omni vana gloria appetenda esset alienissimus? Quid denique eum diligerent, qui mollitiei ipsis et immodestae indolis tam severum se castigatorem praeberet, ut Critiam, quum pulchrum quemdam juvenem turpiter deperisset, idem pati diceret, quod sues, qui corpus lapidibus atterunt [16]? Nec tamen mediocrem aliquam de Critiae in philosophando facultate sententiam fuisse Socratis compluribus praestantissimus homo apud Platonem locis aperit ejus dialogi, qui Charmides inscribitur. Nam quum in reliquis suis cum Sophistarum genere disputationibus notissimam illam *εἰρωνείαν* suam Socrates ita adhibeat, ut importuni homines suis ipsi formulis et conclusionibus illaqueati ad id adducantur, ut quae scire professi essent, nescire se pudibundi concedant, in Charmide tota quaestio ita comparata est, ut communiter potius cum Critia Socrates veritatem indaget, communiter ambo, quum falsis se vestigiis insistere sibi videntur, viam repetant, quae recte alteruter intellexerit, invicem corroborare nitantur, amice potius colloquantur, quam disceptent contentiose. Itaque etiam Plato post gravissimam illam de mundi fabrica expositionem, quae Timaei argumentum est, quum ad demonstrandam perfectae civitatis imaginem quasi archetypam quamdam humani generis historiam contexere vellet, Critiae potissimum ob philosophandi acumen rerumque civilium scientiam ejus dialogi, qui eo nomine insignitur, primarias tribuisse partes videtur. Etenim injuria aliquis suspicetur, cognationi hoc magnum philosophum impertisse, quippe cujus mater neptis fuerit Critiae [16]; nam et oblatam a potentissimo matris avunculo occasionem rei tractandae publicae scimus

16) *Memorab. Socr.* I, 2, 12. sqq. Ex hoc loco sua sumpsit Ael. Aristides, in *laude rhetorices adv. Platon.* 139, Tom. II, pag. 83.. et in *oratione Platonica pro quatuorviris* (Miltiade, Themistocle, Cimone, Pericle), 407, T. II, p. 247. ed. Jebb.

17) Xenophon, *Memorabil. Socr.* I, 2, 29 seq.

recusasse Platonem et triginta tyrannorum saevitiam ingenue v perasse [18].

IV. Ac de positis a Critia in pilosophia studiis quum opus tenor nostri occasionem intulerit, statim addendum videtur, duo so ab antiquis scriptoribus, quum philosophici libri ipsius interierint, ejus in ea re sententiam pertinentia, ea tamen perquam animi ad sione digna tradita esse, alterum animam ex Critiae judicio esse guinem, quod sentiendi maxime potestas animae propria sit [19], alter autem deos esse negasse Critiam [20]. Vide, quantum lumen hae d res toti hominis et cogitandi et vivendi consilio infundant! Vi quam frivola de mortalibus rebus cunctis, de fortuna civitatum, vita hominum et felicitate statuere is debuerit, qui pigro venar impulsu excelsa et praestantia omnia consistere, quae benignissi Dei providentia tribuere nobis dignata est, opinari potuerit! N mirum in tam crassa quasi veneratione inertis materiae Critiam

18) Vide Heindorf. ad *Platon. Charmid.* pag. 58.

19) Vid. Platonis *Epistola* VII, pag. 324. seq. Part. III, Vol. 3, pag. 428. s ed. Bekkeri.

20) Vid. Aristotel. *de Anima* I, 2. qui haec dicit: ἕτεροι δ' αἷμα (τὴν ψυ εἶναι λέγουσιν), καθάπερ Κριτίας, τὸ αἰσθάνεσθαι τῆς ψυχῆς οἰκειότατον ὑπολαμ νοντες. Ad quem locum quae Simplicius et Philoponus dicant, supra dictum (not. 1.); in Philopono alicubi exstare versum Critiae

αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα,

ex Fabricii *biblioth. gr.* didici; libri grammaticorum illorum in nostrae Urbis bliotheca non inveniuntur, neque in Heidelbergensi, cujus rei certiorem fecit Vir Illustris, mihi conjunctissimus, Fridericus Creuzerus. Ceterum versus omnem dubitationem tollit, an de alio auctore illius sententiae, quam de Critia ranno, cogitari possit. Aristotelis locum excerpsit Hermias *Insectat. philosoph ethnicor.* pag. 175. (Libellus est ad calcem Iustini martyris ed. Paris.).

21) Vid. Plutarch. *de Superstitione*, pag. 171. Sext. Empir. *Pyrrhon. hyp typos.* III, 24, 218. *adv. Phys.* IX, 54. St. Theophil. *ad Antolycum* lib. III, pa 121, post calcem Iustini martyris. Qui in secundo Sexti loco laudantur e Sisyp tragoedia versus, sive Critiae sint sive Euripidis, recte observavit Barnesius, ἄθε

illud processisse perversitatis, ut deos esse omnino infitiaretur. Neque enim leniori quadam *σκέψει* sic existimasse illum sibi persuadeat aliquis, ut ambigere tantum dicere voluerit, sintne dii nec ne sint, quo sensu Protagoras Abderites in fronte operis sui haec notissima verba posuisse videtur: *De diis neque an sint neque an non sint, neque quales fere sint, possum dicere: multa enim sunt, quae me prohibeant, et rei obscuritas, et humanae brevitas vitae* [22]! Ea fuit Critiae manifestata moribus et reipublicae administratione licentia sentiendi, quae ex ejusmodi impietate, infelicis philosophiae fructu, si non excusetur, quod nemo in se suscipere volet, at certe optime declaretur. In tanta publicorum morum, quanta tum Athenis regnabat, corruptela, inclinantibus ad luxuriam et voluptatem plerisque, evertente sanctitatem omnem et fidem divinarum rerum proterva Sophistarum, fas nefas eodem temporis momento juxta defendentium, impugnantium eloquentia, nihil facilius fuit, quam ad extremam illam insaniam mentis excedere, ingenio praesertim sensuum illecebris obedienti, impotenti, feroci, ad fruendum potius exquisitiori modo amoenitatibus vitae quam ad utilitatem sapientiae appetenti [23]. Confirmamus igitur Critiam, ut hodie philosophantium vocabulis, parum sane illis ad antiqui sermonis nitorem accedentibus, hoc uti loco liceat, non solum theoreticum probasse atheismum, sed practicum exercuisse. Eaque unica ratione tam diri hominis detestationi animus mo-

fuisse poetam non convincere. De istis autem versibus tum disputabo, quum, quod facere apud animum decrevi, fragmenta Critiae singulari libello edam. Ceterum deos negasse posse etiam eum, qui, quod Critias facit in dialogo Platonico, ejus nomen prae se ferente (pag. 108.), Apollinem et Musas et Mnemosynen invocat, non est, quod doceam.

22) Graeca verba haec sunt secundum Diogenem Laert. IX, 51: *περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, εἴθ' ὡς εἰσὶν, εἴθ' ὡς οὐκ εἰσίν. Πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τε ἀδηλότης, καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου.* Reliqua auctorum loca vid. apud Menagium in notis. Usus est hoc dicto Protagorae vir in paucis Germaniae philosophorum magni aestimandus Car. Lud. Reinhold, *über die Paradoxieen der neuesten Philosophie*, init.

derabitur noster, si, quae pessime commiserit, caeco potius cuidam fureri, tetra nato immortalium rerum desperatione assignabimus, quam cupiditati malignae et voluntati improbae nocendi. Cui judicio calculum adjicere non dubitabit, qui conversarum nuper in Gallia rerum cognitione non leviter imbutus de eorum hominum natura judicare recte didicerit, quorum immaniter admissa stuporem simul atque horrorem sanis omnibus excitaverunt.

V. Primum ei tempus attingendi rem publicam definiri nequit, quod fuerit [23]. Prima autem actio publica, in qua quidem mentio injicitur Critiae, quaestionem illam fuisse reperio de caede Phrynichi. Etenim Phrynichus, quamdiu apud Samon insulam Atheniensium praeesset classi, Alcibiadi se inimicissimum, Pisandri autem et ejus amicorum de re publica immutanda consiliis ostenderat infestissimum, quum repente, ut fit apud homines suam tantum utilitatem respicientes, ex acri defensore popularis imperii patronus optimatum factus est. De qua re copiosus est octavus liber Thucydidis. Itaque in quadringentorum numerum assumptus, quum potestatem eorum sine Lacedaemoniorum auxilio casuram esse videret, cepisse consilium excipiendorum in Eetioneam arcem hostium arguebatur. Is tum subito a quibusdam insidiose occisus est [24], ac facta inquisitione, quum Apollodorus Thra-

23) Huc refero, quae ad Platonis illa dicta (*Tim.* pag. 20): *Κριτίαν δέ που πάντες οἱ τῇδ' ἴσμεν οὐδενὸς* (neque philosophicarum rerum neque civilium) *ἰδιώτην ὄντα ὧν λέγομεν*, Proclus in Commentario dicit (pag. 424. ed. Bekkeri): *ἐκαλεῖτο ἰδιώτης μὲν ἐν φιλοσόφοις, φιλόσοφος δὲ ἐν ἰδιώταις.* Etenim quae ad vitae sobrietatem, temperantiam, modestiam affert philosophia, non quidem erant Critiae animo accommodata, ut qui voluptatem majoris haberet quam sapientiam: contra adversus eos, quorum judicia ad altius penetrandum in humanae indolem naturae tardiora essent, fastum illum philosophicum libenter prae se ferebat. Vid. etiam Tennemann, *Gesch. der Philos.* Vol. I, pag. 394. not. 51.

24) Vid. Thucydid. VIII, 90. Haec arx Theramene duce et Aristocrate, appropinquante Spartanorum classe, quae deinde Oropum petiit, disjecta est; Thucyd. VIII, 91 seqq. Quodsi auctor orationis *adversus Theocrinen* cap. 22. *τοὺς ἀμφὶ*

sybulusque tanquam ejus rei criminis in vincula essent conjecti, populus, auctore Critia, proditionis in mortuo judicium fieri jussit, quo quum esset compertum, patriam Laconibus tradere voluisse Phrynichum, de nece ejus rei absoluti sunt, interfecti cadaver ejectum, defensores ejus Aristarchus et Alexicles occisi [25].

VI. Abrogato deinde quadringentorum imperio, quum summa rerum ad cives quinquies mille cessisset, populi scito Alcibiades ab exsilio revocatus est [26]. Cujus rei Critiam fuisse suasorem Plutarchus auctor est [27], citatis ipsius Critiae ad Alcibiadem versibus his:

Γνώμη δ' ἥ σε κατήγαγ', ἐγὼ ταύτην ἐν ἅπασιν
Εἶπον, καὶ γράψας τοὖργον ἔδρασα τόδε·
Σφραγὶς δ' ἡμετέρας γλώσσης ἐπὶ τοίςδεσι κεῖται.

Hoc est: *eam autem sententiam, quae reducem te fecit, ego potissimum in populi concione proposui ejusque rei rogationem tuli; sed ob id lingua mea annulo obsignata erit.*

Qui versus perquam sunt memorabiles. Continere enim eos opprobrium ingratae mentis quisque videt, nec minus demonstrant supercilium Critiae et obstinatum animum, qui non facile ad expostulandum de beneficiis descendat. Omnino tamen quid ad eos versus ansam dederit Critiae, nescimus; inde est, quod neque recte judicare possumus, an eae inimicitiae Critiam impulerint, quod factum esse scimus, ut ingra-

Κριτίαν Eetioneam Spartanis tradere voluisse dicit, triginta tyrannorum tempus cum tempore quadringentorum, Critiam cum Phrynicho miscuisse videtur.

25) Ita rem exponunt Lysias *adv. Agorat.* 21. seq. et Lycurg. *adv. Leocrat.* 30. Lycurgus Critiam diserte addit, de ea ad populum rogationem tulisse. Cum his male quidem consentiunt, quae Thucydides habet, VIII, 92; sed in medio relinquenda sunt, quum gravissimi illi oratores ad populiscita sese referant. Cf. Meier *de bonis damnator.* pag. 181. not. 68.

26) Vid. Thucydid. VIII, 97. Diodor. Sic. XIII, 37. Cornel. Nepos, in *vita Alcib.* 5.

27) In *vita Alcib.* pag. 209.

vescente triginta tyrannorum apud cives odio, a Thrasybulo a periculo, Lysandro Alcibiadis occidendi consilium daret [28].

VII. Intercedit enim post illas gestas res in Critiae vita anna lacuna. Hoc tantum conjectura assequimur, non multo post i Alcibiadis restitutionem in exsilium eum abscessisse. Nam eo pore, quo pugna commissa ad Arginusas est, in Thessalia exsulem deg diserte apud Xenophontem Theramenes dicit [29]. Caussa rei in obs est [30]. Per eam autem commorationem Thessalicam Critiae mores ruptelam traxisse censet Xenophon [31]; nam Thessalos effeminatos reliquis Graecorum, vino et omni luxuriei deditos fuisse, ut in verbium abierint, vulgo constat. Merito autem Philostratus, de bus Critiae, quum inter triginta esset, facinoribus disserens, *j parum*, ait [32], *cultus et institutus fuisset, valeret per me q eorum sermo, qui dictabant a Thessalis, et conversatione, qu ea regione habuisset, corruptum eum fuisse. Nam ingeni dem parum exculta facile omnino ad quamlibet viam seque induci se patiuntur. Verum quum optime institutus fuerit, s*

28) Metuebant tyranni, ne Alcibiadis ope exsules ad reditum in patri comparandum uterentur. Vid. Plutarch. in *vita Alcib.* pag. 213. Cornel. *ejusd. vita*, cap. 10. et cf. Diodor. XIV, 11.

29) *Hist. gr.* II, 3, 36.

30) Posset aliquis conjecturam facere, Theramenem invidiae causs profectionem aliquam voluntariam fugae nomine objecisse; sed obest alter i Xenophontis, *Memorab. Socr.* I, 2, 24. Unum solum vestigium est in Ph *vit. Critiae*, init., ubi est, Critiam προδοῦναι τὰ ἱερά, ut pari modo, quo ram, ἀσεβείας damnatum censere liceat, quod, quum inter ἀθέους a script dictum est, referatur, a veri similitudine non valde abhorret. Meierun *damn.* accusationem Critiae non satis firmis nisum rationibus Cleophonti supra notatum est.

31) *Memorab. Socr.* l. l.

32) *Vit. Crit.* 2.

tiaeque praecepta [33] *plurima ipse sermone protulerit, haudquaquam apud plerosque crimine caruerit, quod non ingenii sui pravitate scelera ista commiserit. Illud quoque mirum, eum Socrati factum similem non esse, cum quo una philosophatus diu fuerat, sapientissimi, et justissimi suae aetatis hominum laudem adepto, Thessalis similem factum, apud quos fastus, intemperantia et tyrannica saevities inter pocula exercentur. Verumtamen ne Thessali quidem sapientiae studia negligebant, sed parvae magnaeque Thessaliae civitates Gorgissabant, Gorgiam suspicientes Leontinum; et ad Critiam etiam imitandum animum convertissent, si quod sapientiae specimen apud eos Critias edidisset. Is autem id quidem minime curabat, et graviorem illis paucorum dominatum efficiebat, quum disserendo apud ejus terrae optimates omnem popularem reipublicae formam reprehenderet, Athenienses vero perstringeret, quod prae mortalibus omnibus in errore versarentur maxime. Adeoque haec secum consideranti, Critias Thessalos potius depravasse quam Thessali Critiam videbuntur.*

Haec rectissime Philostratus; quae vero de Critiae apud Thessalos dominationis confirmandae studiis exponit, in iis contraria plane habet Theramenis illa apud Xenophontem [34], cum Prometheo [35] popu-

33) *Γνώμας*, quae tamen non singulari libello editae erant, quales Theognideae sunt, sed per alia carmina dispersae; earum aliquas servavit Stobaeus, quarum hanc, quae ex animo Critiae prolata videri possit, adscribo (exstat Florilegii Gesneriani pag. 519):

σοφῆς δὲ πενίας σκαιότητα πλουσίαν
κρεῖσσον σύνοικόν ἐστιν ἐν δόμοις ἔχειν.

En habes ἐν φιλοσόφοις ἰδιώτην!

34) *Hist. gr.* l. l.

35) De Prometheo hoc nihil proditum est memoriae, nisi quod narratiuncula de vomica insidiatoris gladio aperta et ita sanata, quam de Iasone Pheraeo profert Cicero, apud Plutarchum de Prometheo isto exhibetur. Itaque Wyttenbachius Promethei cognomen fuisse Iasoni conjecit, in qua re, an temporis ratio stare possit, non satis scio; sed quum Wyttenbachii ad Plutarchum commentarius

lare imperium inducere voluisse servosque, quos *πενέστας* [36] bant, adversum heros concitasse incusantis. Nam nisi aliqı Critiam fortasse eo modo procerum Thessalorum infringere ni auctoritatem, ut ad ejus generis praecepta, qualia in Principe suc vellus exposuit, ad quotidianum usum convertenda, quo mag fierent plebi, commoverit eos, non video, quomodo scriptorum il sitas componi probabiliter debeat. Quare, qui antiquior et fer lis est Xenophon, in re praesertim quae ex aemuli ore profera ut ad praesentium hominum facti conscientiam provocetur, pl apud nos valeat oportet. Politicorum hominum, quod nunc q videmus, pro uniuscujusque fortuna temporis mutatur ratio; ne menter debemus admirari, eum, quem insequentibus annis a simum populi adversarium exstitisse sciamus, in Thessalia opp se plebis exhibuisse fautorem: neutris ex vera animi affectione cupiebat Critias, nec nobilibus nec multitudini; se solum, sua com per omnem vitam adamabat, suam cupiditatem studebat explere.

VIII. Reversum ab exsilio conjicio post infaustum illud proe quo apud Aegos flumen Atheniensium res irreparabile damnum Etenim quum mari simul et terra, hinc ab Agide, illinc ab Lysa oppugnarentur Athenae, instantis metu periculi, primum quidem civibus quibuscunque libertatis aliqua deminutione notatis, quos *μους* illi vocabant, in gratiam res publica rediit [36]; deinde, pac conditionibus, de quibus Lysandrum inter atque Theramenem co nerat, a populo accepta, exsules in patriam restituti sunt [37]. Ac quidem Critiam, vehementis hominem ingenii, ultionis desiderio flagra idque ut expleret susceptis in novo statu rei publicae partibus, mag pere connisum, ipsae res docent, quae tantam fortunae commutat

hic loci non praesto sit, refero me ad Schneiderum in *Xenophontis histor. gr.* I et Creuzerum ad *Cic. de Nat. Deor.* III, 28.

36) De his vid. Ruhnken. ad *Timaei Lex. Plat.* pag. 212.

37) Vid. Xenophont. *hist. gr.* II, 2, 11. Andocid. *de myster.* 19.

nem insecutae sunt. Nam quum eo tempore etiam apud Athenienses, quod antea per oppida a Lysandro factum erat [38], eorum, qui Laconibus aperte favebant, societas quaedam (*ἑταιρείαν* Graeci dicunt [39] constituta esset [40], abque hujus sodalibus societatis quinqueviri crearentur, ut ipsi quidem prae se tulerunt, colligendorum caussa civium, ut re patefactum est, ad civitatem paucorum manibus vindicandam: statim Critias in his quinque lectus est [40]. Et quum in pace statutum esset, ut patriis legibus Athenienses uterentur, quinque, Lysandri freti auxilio, populum coegerunt, ut triginta hominibus inquirendi emendandique pristinas civitatis constitutiones permitteret potestatem [41]. Ea tum res liberrimae exercendae libidinis triginta illis viam aperuit; nam quum demandatum sibi negotium magnitudinem rei ac difficultatem praetexendo in dies proferrent [42], suo interim omnia arbitrio egerunt. Quod tantam iis apud cunctos invidiam peperit, ut triginta tyrannorum ipsi, *ἀναρχίας*, quod legum quasi silentium est, nomine is annus, per quem auctoritas eorum valuit, in annalibus notaretur [43].

IX. De quorum flagitiis, rapinis, caedibus multi sunt, qui ejus temporis historiam tetigerunt, Lysias orator, Xenophon, Diodorus, Plutarchus historici. Atque Critiae quidem in crudeliter patratis omni-

38) Vid. Xenophont. *hist. gr.* II, 2, 23.

39) Vid. Plutarch. in *vita Lysandri*, pag. 435. Sodalitates illae quales fuerint, facile cogitando finget, qui earum meminerit, quae Gallicae conversionis tempore hic illic constitutae erant, *Klubbs* appellatae.

40) Vid. Andocid. *de Myster.* passim. Lysias *adv. Eratosth.* 7. 9.

41) Lys. *adv. Eratosth.* 7.

42) Hoc patet ex Lysia, *adv. Eratosth* 7 et 24, sect. 9. sqq. Populum ad accipiendos triginta coactum fuisse, consentit etiam Diodorus XIV, 3. sq. inepte ceterum sedulus in extollendo Theramene; idem denique Plutarchus indicat, *vita Lysandri*, pag. 441. Quod Xenophon dicit breviter: (*hist. gr.* II, 3, 2.) *ἔδοξε τῷ δήμῳ τριάκοντα ἄνδρας ἑλέσθαι*, recte dicit: *ψήφισμα* populi factum est, sed jussu factiosae conjurationis. Critias saepe *ὁ τῶν τριάκοντα ἄρξας* appellatur.

43) *Xenophon*, hist. gr. II, 3, 11. *Diodorus* IV, 4.

bus insignes partes fuisse verissimum est. Quae tamen facinora notissima sunt et nihil admodum in se diversitatis habent, ut singı retulisse pretium esse operae possit. Nam quum primum ad opp mendos probos cives animum induxissent, Lysandro persuaserunt, praesidium sibi Lacedaemoniorum mitteret, quo omni deposita cura stituta via grassarentur, ejusque praesidii Callibium ducem, quo min ipsorum se rebus immisceret, oblatis muneribus lautisque appara conviviis facile adduxerunt [44]. Deinde partiti sunt inter se atrocissi homines singulas opulentiorum civium domos, ut quum improb sima eis objecissent, necatis dominis bona ipsi sibi vindicareı in quo ne avaritiae caussa eas strages edere viderentur, divitib honestis compluribus pauperes aliquot parumque venientes in censu ut una interficerentur, reducendi popularis imperii consilia exprobra tes soliti sunt adjicere [45]. Latissimum autem tum temporis campı patuisse delatoribus, spurcissimo generi hominum, sexcentis locis oratione sua adversus Agoratum indicavit Lysias.

X. Nihil autem memoria dignius e rebus gestis Critiae videbitur i qui scire cupiunt quae ad comprimendam animorum libertatem coerc dumque generosum motum ingeniorum inita quaque aetate consilia sı a funestis illis generis humani osoribus, quos scite nostratium aliqı poetarum *flagella nationum* appellavit, quam interdictum illud, q dicendi artem doceri vetuit. Spectabat ad Socratem ea lex, qu ipse impurus homo ejus rei magistrum habuerat. Nam quum sapient illum Critias et Charicles audivissent triginta sociorum in plecten civibus acerbitatem improbasse, arcessito legem opposuerunt ado scentiumque colloquiis omnino jusserunt abstinere. Cujus rei jucı dissima est, quae apud Xenophontem [46] exstat narratio. Postqu

44) Vid. Xenophont. *hist. gr.* III, 3, 13. seq. Diodor. XIV, 4. De Callibio P tarch. *vit. Lys.* pag. 441.

45) Vid. Lysias *adv. Eratosth.* 2. sqq.

46) *Memorabil. Socr.* I, 2, 31. sqq.

enim Socrates ostendit se legibus paratum esse morem gerere, modo id sibi concederent, ut, in quibus parum illarum sensus sibi liqueret, quaereret ab ipsis, ejusque ei facta potestas est, hoc, inquit, perspicue a vobis explicatum velim, utrum in iis, quae recte dicantur, artem esse dicendi censeatis et eam ita exerceri nolitis, an in iis, quae prave. Nam si in iis, quae recte, dubium non est, quin a recte dicendo abstinendum sit: sin vero in iis, quae prave, manifestum, ut recte dicatur, nitendum esse. Quibus argumentis, quum, quod veritatis pondus est, nihil magnopere sani haberent, quod objicerent, exasperatus, ut fit, iracundia Charicles, quoniam ignoras nostram sententiam, respondit, haec tibi intellectu faciliora edicimus, ut adolescentibus omnino non colloquaris. Ad quae Socrates, ne igitur in ambiguo sim, an non aliud quid faciam ac praescriptum est, definite mihi, ad quotum aetatis annum adolescentem aliquem habere deceat? Cui reponens Charicles, antequam senatoriam aetatem attigisset, unumquemque adolescentem habendum esse dixit, cumque iis qui minores essent triginta annis consuetudinem intercedere debere negavit [47]. Itaque neque interrogare licebit, quum emere aliquid libuerit idque minor annis triginta vendat, quanti vendat? Hoc vero licet, respondit Charicles; tu autem consuesti, Socrates, quamvis scias, quomodo se aliquid habeat, plerumque tamen quaerere, quod in posterum ne facias. Neque etiam respondebo, si me adolescens interrogaverit aliquis, quod sciam, verbi caussa Charicles ubi habitet, aut Critias? Haec sane, inquit, respondebis. Critias autem, ab illis vero, addidit, cum quibus versari soles, coriariis et fabris, plane abstinendum tibi erit; eorum enim tuis sermonibus et confabulationibus mentem ad alia omnia abduci puto.

XI. Haec quidem Xenophon. Quod eum autem hominem, qui quum pacem, splendidam Spartanis hostibus, ignominiosam patriae, confe-

47) De aetate, qua omnino ad rempublicam licebat accedere, egit Schömann *de Comit. Atheniens.* pag. 76. sqq. pag. 105. sqq.

cisset, plurimum ad triginta illorum auctoritatem inducendam attulisset, Theramenem dico, interfecerit Critias, suis illum consiliis adversari succensens, nemo mirabitur [48]. Habet tamen ea res hoc prae reliquis tam immanis dominationis facinoribus quasi praecipuum, quod minime immeritam Theramenes poenam luisse videatur. Idque vere dici, qui gravissimorum auctorum, Thucydidis, Lysiae et Xenophontis de ejus vita hominis testimonia probe perpenderit, consentiet. Nam ex Thucydide discimus, eum inprimis ad evertendum post cladem Siculam rei publicae statum constituendumque quadringentorum imperium conjurasse [49]; deinde, quum exercitum eam commutationem improbare vidisset, suos ipsum collegas populo reddidisse invisos, insidias ipsis machinatum, arma primum in eos suscepisse [50]; quae tanta ei inconstantia Cothurni nomen, qui calceus est ad utrumque aptatus pedem, peperit [51]. His graviora etiam ac turpiora Lysias addit, Antiphonta rhetorem [52] et Archeptolemum nominatim referens, amicissimos ante, ab eo judicio populi traditos interfectosque; rem publicam indignissime deceptam, quum pacem Spartanorum aequis

48) Vide rem apud Xenophontem, *hist. gr.* II, 3, 15. sqq. Ineptit circa eam Diodorus.

49) Thucyd. VIII, 68.

50) Thucyd. VIII, 89. sqq.

51) Vid. Xenophon *hist. gr.* II, 3, 31. Cf. Ruhnken. *diss. de Antiphonte* pag. 816, Tom. VII. Orator. Reiskii.

52) Vid. Lys. *adv. Eratosth.* 20. Qui hunc locum accurate legerit, rerumque in tota illa Theramenis facinorum expositione ordinem expenderit, non amplius dubitabit, agi ibi de rhetore Rhamnusio, quem sublato quadringentorum imperio populi judicio damnatum scribit Thucydides, VIII, 68. Hunc ita perdere potuit Theramenes, ut apud populum accusaret, quod diserte Lysias tradit. Eum contra Antiphontem, Lysidonidae filium, quem apud Xenophontem, *hist. gr.* III, 3, 40. a triginta occisum dicit ipse Theramenes, neque ipse Ruhnkenius, *diss. de Antiphonte*, pag. 819. eundem habere potuit cum illo, qui a Lysia memoratur. Ad haec corrige, quae Schneiderus profert ad l. l. Xenophontis.

minimeque inhonestis conditionibus sese conciliaturum pollicitus, ipse suasisset hostibus, ut, nisi dirutis moenibus, clarissimo illo Themistoclis ac Cimonis opere, eversaque pristina civitatis institutione, nihil concederent Atheniensibus, probe intelligens, se non nisi spoliata patria ac manibus hostium permissa operae pretium laturum suae; adactum denique in concione Lysandri armis circumdata populum, ut triginta tyrannorum in se jugum susciperet, qua occasione, quum dolorem suum indignationemquc non contineret multitudo, impudentissime dixerit, se nihil curare tumultum concionis; nosse enim se multos cives eadem sentientes, atque ita placere Lysandro ac Lacedaemoniis [53]. Quae Xenophon tantum abest, ut in sua ejus temporis rerum descriptione leniat quadamtenus narrando et quasi benigniori quadam luce circumfundat, ut potius corroboret atque confirmet. Nam et Theramenem potissimum studuisse perhibet, ut immerentissimi duces Atheniensium, qui illustrem ad Arginusas insulas victoriam reportassent, capite plecterentur [54], et tres integros menses quum obsideretur urbs in castris Lysandri eum consulto transegisse memorat, donec inopia consilii ac fame pressi Athenienses, quaecunque pacis ferrentur leges, admitterent [55]; ut facile colligas, si moderatiorem se in principatu atque cautiorem reliquis Theramenes praestiterit, non bonitati id esse, sed calliditati potius et ratiocinationi tribuendum.

XII. Hic quum bibisset cicutam, reliquum graeco inter potandum more *ἀπεκοττάβιζεν*, i. e. ita e poculo ejecit, ut resonaret, quo sonitu reddito arridens, *propino*, inquit, *hoc pulchro Critiae* [56]. Eoque lusu ei, qui venenum praebuerat, mortem est auguratus; quae brevi con-

53) Lysias, *adv. Eratosth.* 21.

54) *Hist. gr.* I, 7, 4. Cf. II, 3, 32.

55) *Hist. gr*, II, 2, 16. sqq.

56) Vid. Xenophon *hist. gr.* II, 3, 56. et cf. Cicero *Tuscul. Quaest.* I, 40. cujus verba excerpsimus. Verba graeca sunt: *Κριτίᾳ τοῦτ' ἔστω τῷ καλῷ*, i. e. amasio, ironice.

secuta est. Dedit tamen Critiae prae Theramene fortuna, quo constantiorem proposito et tectum sese minus monstraverat, ut, quo more Catilina, quo Macbethus ille Scotorum, quo tertius Anglorum Richardus occubuerunt, in acie fortissime dimicans mortem oppeteret. Quod factum est primo statim proelio, quod quum Thrasybulus Piraeeum occupasset, triginta inter et exsules commissum est [57] altero post finitum bellum Peloponnesiacum anno, qui tertius est et quadringentesimus ante Christum natum. Hic finis Critiae.

XIII. Cujus hominis, quum et doctissimus fuerit, et ad philosophiam, civilem prudentiam, eloquentiam, poesin adjecerit animum, multa omnino apud veteres scripta commemorantur. De quibus quum instituti ratio postularet, ut copiosius exponeremus, facit et temporis et spatii angustia, ut paucis defungamur. Igitur philosophicorum paucissima exstant vestigia; nam sententiam illam de anima, cujus Aristoteles mentionem facit, impietatem suam, de qua multi observarunt, utrum singularibus libellis exposuerit Critias, an oblata ubicunque opportunitate, nescimus, de hoc tantum certiores facti ab Aristotelis interpretibus, priorem notitiam poetico aliquo scripto esse desumptam. Ad hoc autem genus referendus est liber *de natura amoris*, *sive de virtutibus*, cujus Galenus facit mentionem [58]. In Dionysii Halicarnassensis loco [59], ubi nullum scriptorem eorum, qui circa Peloponnesiacum vixerint bellum, eo sermone usum esse dicit, quo Thucydides sit usus, neque oratorum, quales fuerint Andocides, Antiphon, Lysias, neque Socraticorum, quales Critias, Antisthenes et Xenophon, quae scripta Critiae indicentur, non liquet.

57) Vid. Xenophon, *hist. gr.* II, 4, 19. De morte hominis vid. Philostrat. *vit. Crit.* 3.

58) *Lexic. Hippocr.* v. δυσανίης. Quod si ad similitudinem ejus rationis, qua de anima versibus disputavit Critias, conjecturam inire liceret, etiam hunc librum rhythmis conceptum esse censerem, adque eum referrem suavissimos illos in Anacreontem versus, quos conservavit Athenaeus, XIII, pag. 601. d.

59) *Judic. de Thucyd.* 51, Tom. VI, pag. 941. ed. Reiske.

Prosa oratione perscripti sine dubio ii erant libri, qui de rebus publicis singularum Graeciae civitatium tractabant [60]; ex his qui Lacedaemoniorum rempublicam complectebatur, saepius apud scriptores excitatur [61]. Aliorum an vestigia supersint, incertum [62].

Orationum multae sunt propter vim et nervos cogitationum, dicendi vigorem, elegantiam, gravitatem veterum scriptorum laudes, ut cum

60) Sunt πολιτεῖαι, quas perperam opinatur Gerh. Vossius *de historicis graecis*, III, pag. 268. ed. 1624. ab alio fuisse Critia, perperam ille in eo comprobatus a Schweighaeusero, *Ind. ad Athen.* pag. 84. Laudantur apud Pollucem, VII, 59. Utrum vero hi libri communi aliquo corpore contenti fuerint, an potius singulari quodam tractatu unaquaeque graeca respublica fuerit descripta, ut Pollux communi titulo usus esse censendus sit ob id solum, quod verum et proprium locum ejus nominis, quod Critiae auctoritate illustraturus erat, non satis teneret memoria, hoc in medio relinquendum est. Si hos libros respexit Jo. Philoponus *ad Aristotelis Analytica priora*, 4. (laudo hominem ex Fabricio), quum nihil scripsisse Critiam affirmat nisi *πολιτείας ἐμμέτρους*, in eo certe peccavit, quod *ἐμμέτρους* fuisse dicit; sed commiscuit eos ut videtur, cum elegiis, quarum a politicis rebus non abhorrebat argumentum.

61) Vid. Harpocratio, s. v. *Λυκιουργεῖς*. Athenaeus, XI, pag. 463. e. f. 483. b. 486. e. Ad eundem librum pertinere fragmentum illud apud Clementem Alexandrinum, quod supra citavimus not. 10, recte vidit Casaubonus ad Athen. pag. 463. nec immerito Meursius, *bibliothecae Atticae* lib. II, s. n. huc traxit Plutarchi locum, in *vita Lycurgi*, pag. 45. ubi est: *δι' ὃ καὶ κώθων ὁ Λακωνικὸς εὐδοκιμεῖ μάλιστα πρὸς τὰς στρατείας, ὥς φησὶ Κριτίας· τὰ γὰρ ἀναγκαίως πινόμενα τῶν ὑδάτων καὶ δυσωποῦντα τὴν ὄψιν ἀπεκρύπτετο τῇ χρόᾳ, καὶ τοῦ θολεροῦ προσκόπτοντος ἐντὸς καὶ προϊσχομένου τοῖς ἄμβωσι καθαρώτερον ἐπλησίαζε τῷ στόματι τὸ πινόμενον.*

62) Quae apud Athenaeum exstant, XII, pag. 527. a. *ὡμολόγηνται δ' οἱ Θετταλοὶ ὡς καὶ Κριτίας φησί, πάντων Ἑλλήνων πολυτελέστατοι γεγενῆσθαι, περί τε τὴν δίαιταν καὶ τὴν ἐσθῆτα· ὅπερ αὐτοῖς αἴτιον ἐγένετο κατὰ τῆς Ἑλλάδος ἐπαγαγεῖν τοὺς Πέρσας, ζηλώσαντας τὴν τούτων τρυφὴν καὶ πολυτέλειαν*, ea lib. XIV, pag. 663. a. ad verbum paene repetuntur, additis his: *ἱστορεῖ δὲ καὶ περὶ τῆς πολυτελείας αὐτῶν καὶ Κρατῖνος ἐν τῇ πολιτείᾳ αὐτῶν*, ubi sane recte Casaubonus suspicatur scribendum esse *καὶ Κριτίας*. Equidem deleverim insuper verba *καὶ περὶ τῆς πολυτελείας αὐτῶν καί*, ut restent tantum haec: *ἱστορεῖ δὲ Κριτίας ἐν τῇ πολιτείᾳ αὐτῶν.*

eloquentissimis Graecorum saepe comparetur, ad Thucydidis granditatem, ad Lysiae nativum robur oratio ejus accessisse a magnis judicibus, Cicerone [63] et Dionysio Halicarnassensi [64] non uno loco dicatur. Quo gravius est dolendum de jactura, quam in iis fecimus: neque tamen improbaverit aliquis, quae huc facientia Philostratus dicit [65], eos impugnans, qui fortem illum virum obiisse contenderint, quod tyrannidem usque ad mortem retinuisset, et quasi funebri vestimento ea usus esset: *fas esto mihi*, inquit, *id pronuntiare, neminem mortalium honestam obire mortem ea tuendo quae injuste comparaverit. Quamobrem et eruditio hominis et scripta elaborata haud ita celebrari apud Graecos videntur; nam nisi moribus consentiat oratio, lingua aliena loqui, quasi tibiae, videbimur.* Ea autem popularium Critiae de scriptis ejus incuria nos illis privavit.

Quem idem Philostratus in dedicatione librorum de Sophistarum vitis [66] significare videtur libellum Critiae, qualis fuerit, non satis judicare possumus. Exhibebat fortasse vitas sapientium hominum, quorum ingeniis Graecia gloriabatur, ab Homeri inde temporibus [67].

63) *De Orat.* II, 22. *Brut.* 7. Priori illo loco Cicero animadvertit, suo tempore nulla exstare scripta Critiae; quod ad oratoria certe restringendum est, quamquam et haec Dionysius Halicarnassensis legit, et, ut videtur, Philostratus. Sed rationem rei haurias ex dicto Philostrati, laudatum not. 65. Etenim quum vulgo minus tractarentur opera Critiae, grammaticorum tantum in manibus versarentur, Romanum aliquem, quamvis doctum, facile inquirentem fallere poterant.

64) *Judic. de Isaeo*, 20, T. V, p. 626. Cf. Philostrat. *vit. Crit.* ult. *Epistola ad Jul. August.* pag. 919. De sermone Critiae vid. et hi loci, et Dionys. Hal. *Judic. de Thuc.* 51. et *de Lysia*, 2, T. V, p. 454. Critiae nomen apud alios grammaticos et rhetoras passim occurrit; sed quum aut singulae tantum voces ex ejus scriptis ab iis laudentur, aut quae hic allati sunt loci ad judicandam ejus scripturam excerpantur tantum aut describantur, opus esse non duxi, ut eos excitarem.

65) *Vit. Crit.* cap. 3. pag. 502.

66) Pag. 480.

67) Vid. supra not. 1. Philostratus dicit, *quorum vitas delineaverit Critias, eos*

Carmina denique Critiae et elegiaci generis erant et dramatici. Quorum ex altero majora quaedam fragmenta supersunt, justissimum desiderium facientia reliquorum 68), ex altero praeter paucas aliquot sententias 69) nomina tantum unius alteriusve dramatis 70).

non additis patrum nominibus induxisse, nisi Homerum, quod miraculo fore duceret, patrem Homero fluvium esse; in quo facile vides deridere voluisse Critiam eorum absurdam sedulitatem, qui uniuscujusque magni hominis etiam memorabilem quemdam parentem vellent. Quod Scholiastes Euripidis *ad Hippolyt.* v. 263. refert, nobile illud dictum: *μηδὲν ἄγαν* a Critia et Pindaro Chiloni tribui, fortasse ex iisdem vitiis est. Denique huc pertinere videntur, quae de Archilocho ex Critia habet Aelian. *Var. Hist.* X, 13. cujus alter locus de Themistocle, itidem e Critia depromptus, X, 17. ex orationibus vel ex politiis esse potest.

68) Exstant apud Athenaeum I, pag. 28. b. X, p. 432. d. sqq. Vid. nota nostra 11. Versus ex iisdem desumptos ad Alcibiadem exhibui supra cap. VI. Aliud distichon est ap. Plutarch. in *vita Cimonis* pag. 484.

69) Earum unam citavi not. 33. Exstant apud Stobaeum. De longiori fragmento e Sisypho vid. not. 21.

70) De hac re vid. Fabric. *bibl. gr.* Tom. II, pag. 294. ibique Harless. De *Sisypho* tragoedia dictum est not. 33. De *Pirithoo* tragoedia etiam dubitabatur utrum Critiae esset, an Euripidis. Vid. Athenaeus, XI, pag. 496. b. Cf. Valkenaer. *diatr.* pag. 197. c. *Atalanten* drama comici conjecerim aut satyrici generis fuisse, nisi forte nimis tribuo sensui eorum, quae Pollux dicit, VII, 31: *ὁ δὲ κωμικὸς Πλάτων ἔφη ἀκλώστους στήμονας, καὶ ἀρπεδόνας δὲ τὰ νήματα Ἡρόδοτος. Κριτίας* (sed invenitur etiam *Ἀριστίας*, vidd. intpp.) *δὲ ἐν Ἀταλάντῃ ἀρπεδόνην τε λύσιν ἱστοῦ, τραγικώτερον.* Cur *τραγικώτερον* adjecisset, si ex tragoedia versus fuisset?

Notae 9. adde: de Pisandro vid. Thuc. VIII, 49. 53. 65. 68. Inde a nota 10. notarum numerus in contextu turbatus est. Nota 11. pertinet ad verba primae lineae pag. 7. *admiratione disciplinae ultro prodierint.* Deinde signum 11. in contextu corrige in 12. et sic porro; pag. 8. primum signum 16. muta in 17. posterius 16. in 18, pag. 9. corrige 18. in 19. rel. ut notae infra positae aequabiliter procedentes recte respondeant orationi contextus; denique p. 12. post notam 25, quae ad signum contextus 24. pertinet, hanc adde ad signum contextus 25. post verba: *Aristarchus et Alexicles occisi:* 25) Vid. Lycurg. cap. 30. 31.